

# A F R I C A.

**H**ANC veteres multifariam diuiserunt: hodie eam in quatuor distinguunt partes; Barbariam, Numidiam, Libyam, & Nigritarum terram. BARBARIAM, quam meliorem censent, Mari Atlantico, & Mediterraneo; Atlante monte, & Barcha Regione contermina Ægypti circumscribunt. NUMIDIAM, quæ illis Biledulgerid dicitur, & dactylos producit, vnde Arabibus non alio nomine quàm Dactylifera Regio nominatur, Atlantico Mari ab Occidente terminatur; & Atlante monte à Septentrione: Orientem versus excurrit ad Eloacat Urbem ab Ægypto centum miliaribus distantem. Libyæ deserta arenosa illi à Meridie sunt. LIBYÀ verò tertia pars Arabica lingua *Sarra* appellatur, quæ vox idem quod desertum significat, à Nilo ad Orientem Solem principium habet, indeque ad Mare Atlanticum versus Occidentem pergit: Numidia illi Septentrionalis est: in Meridie Nigritis se iungit. Sequitur quarta pars, quam NIGRITARVM terram vocant, nomine aut ab Incolis, qui nigro colore afficiuntur, siue à flumine Nigro, qui hanc Regionem lambit, sumpto: Hæc habet à Septentrione Libyam; à Meridie Oceanum Æthyopicum; ab Occidente Gualatæ; & ab Oriente Goagæ Regnum. Aduertendum, quòd hoc modo vniuersam Africam Mari Mediterraneo, Atlantico, Æthyopico, & Nilo flumine constringunt; vnde & Ægyptus & Æthiopia, Asiæ ascribuntur. Nobis tamen cum Ptolemæo potius mari Mediterraneo & Oceano, quàm fluuio circumscribi oportere iudicamus, habebitque Peninsulæ formam, Isthmo, qui est inter Mare Mediterraneum, & Sinum Arabicum Asiæ iunctam. Huius pars Meridionalis veteribus incognita permansit, vsque ad annum .M. cccc. xcvii. quo Vasco de Gama primus Promontorium Bonæ Spei prætergressus, Africa circumnavigata ad Calecutium peruenit. Hæc pars à Persis Arabibusque Zanzibar dicitur. Ad dictum Promontorium Bonæ Spei incolæ sunt nigerrimi; quod minimè tacendum duximus; quia causam nigredinis, calorem, propinquitatemque Solis omnes esse opinentur, atque hinc non magis Sol torreat, quàm ad Fretum Magellanicum (si cæli respectu loci calorem metiri velimus) vbi tamen candidissimi esse perhibentur: Quòd si hanc nigredinem Solis adustioni tribuere velimus, videndum, vnde Hispanis, Italisque, ille corporum candor: cum æquè distent ab Æquinoctiali cum dictis Bonæ Spei incolis; hi scilicet versus Austrum, illi verò versus Boream. Qui sub Presbitero Ioanne degunt, subfusci sunt. In Zeylan & Malabar habitantes nigerrimi existunt, sub vna eademque ab Æquatore distantia, eodemque cæli parallelo. Sed hoc mirari magis quis possit, in tota America nusquam nigros inueniri, præter paucos in loco *Quareca* illis dicto. Quæ ergo huius coloris causa efficiens, an cæli aut terræ ariditas? aut fortasse Soli quædam incognita proprietas? an ipsorum hominum quædam naturæ innata ratio? aut omnia? Sed hæc arcanorum naturæ indagatoribus consideranda relinquimus. Hæc Regio Græcis Libya dicitur; Latinis Africa, quòd frigoris rigiditate careat: aut (si Iosepho credimus) ab Afro quodam ex Abrahæ posteris. Aliam nominis rationem habes apud Iohannem Leonem. Apud veteres nemo hanc Regionem sigillatim descripsit. Sed de ea vide Hannonis Africæ circumnauigationem apud Arrianum; & Iamboli, apud Dioscorum Siculum. Ex recentioribus consule Aloysium Cadamostum; Vascum de Gama; Franciscum Aluares, qui Æthyopiam perlustrauit; Sed omnium accuratissimè eam descripsit Ioannes Leo. Promittit & Ioannes Barrius Africæ volumen. De Nilo flumine totius Orbis terrarum maximo, habes litteras Ioan. Baptistæ Rhamusij, & Hieronymi Fracastorij.



OCEANVS ATLANTICVS

TROPICVS CANCRI



Insule Cap. Viridis olim Gorgades sive Hesperides

MAR DEL NORT.

AEQVINOCTIALIS CIRCVLVS.

OCEANVS LETHIO

RESIPARS. Rio de la plata, id est argenteus fluvius

AFRICA TABULA NOVA  
EDITA A. VERPLAE 1570

INDICVS

TROPICVS

Insula de Tristia de Acunia

ASIAE REGNI PER SILEPARS

MARE DI MESENDIN olim Sinus Persicus

AYMAN olim Arabia felix.

INDICVS

SINVS BARBARICVS, qui et Asperum mare Protol.

Hec insula ab incolis Madagascar ab Hispanis S. Laurentij, olim Memuthias Protol. Cerne forte Plin dicitur

CAPRICORNI.



